

4.

## Der Anfang von Francisco de Enzinas' „*Historia de statu Belgico deque religione Hispanica*“

veröffentlicht

von

Ed. Böhmer.

Von Francisco de Enzinas lateinischen Denkwürdigkeiten, von denen zuerst 1861 in meinen *Cenni sui fratelli Valdesso*, Anhang zur Ausgabe der *CX Considerazioni*, p. 519, eine kleine Probe gegeben war, aus dem Altonaer Manuskript, das 1862 Campan veröffentlicht hat, lasse ich hier den in jenem Manuskript fehlenden Anfang drucken nach einer ehemals in der Heidelberger, jetzt in der Vatikanischen Bibliothek befindlichen Handschrift Cod. Lat. Palat. 1853. Auf diese hat Menendez Pelayo aufmerksam gemacht in seiner *Historia de los heterodoxos españoles*, T. II, 1880, p. 237. Er bemerkt, daß dort der vermifste Anfang vorhanden sei, und daß eine Widmung an Melanchthon von Artur Gallus vorgehe, der das Werk unter den Papieren des Verstorbenen gefunden habe. Von Herrn Professor Ernesto Monaci in Rom, an den ich mich gewandt hatte, beauftragt, hat Herr Dr. Carlo Merkel diesen Anfang der Handschrift für mich abgeschrieben und meine Fragen ausgiebig beantwortet. In Interpunktion und Orthographie habe ich nachgeholfen; wo ich im Text geändert habe, ist das Handschriftliche angemerkt.

### **De statu Belgico deque religione Hispanica historia**

Francisci Enzinatis Burgensis

ad clarissimum virum Philippum Melanchthonem.

Veteri proverbio celebratur, doctissime praeceptor, securam praeteritorum malorum recordationem perjucundam esse solere. Ego vero quanquam id a patre caelesti divinitus sim consecutus ut transacta mala tuto possim commemorare, tamen, qui meus est erga rempublicam, potissimum erga ecclesiam Dei affectus, sine ingenti animi dolore ea, quae vidi quaeque ipse expertus

sum, neque litteris mandare neque verbis narrare neque etiam siccis oculis in memoriam possum revocare. Non quod ego privatis fortunae vulneribus vehementer afficiar, quanquam ut dici solet *τὸ οὐκ εἶον μέλει*<sup>1</sup>, sed quod publici status perturbationem, ecclesiarum dissipationem atque immanem illam crudelitatem adversus Christi membra pro eo ac debeo peracerbe fero. Privatam vero calamitatem quæ possem<sup>2</sup> nunc, velut in portu navigans, hic<sup>3</sup> anxie expavescere vel publicis ecclesiae cladibus anteferre, qui<sup>4</sup> ne tum<sup>5</sup> quidem, cum saevissimis fortunae fluctibus jactatus periclitarer, aliter quam aequanimiter meam sortem tuli, eamque publicis periculis semper mihi posthabendam esse putavi. Una ecclesiae Christi cura me sollicitum perpetuo tenuit, neque hanc sollicitudinem nisi cum vita ipsa deponam. Etenim gravissimi homines sapientissime<sup>6</sup> judicarunt, nisi pacata et tranquilla universae reipublicae forma rem uniuscujusque privatam salvam esse non posse. Atque omnes sani manifeste in vita experiuntur verissimum esse quod ille ait: Intran in thalamos publica damna tuos. Hoc igitur esse boni viri officium statuo, sic animatum esse erga rempublicam ut pericula publica magni faciat, privata vero non plane inconsiderate contemnat. Quare cum unus inter omnes sis, doctissime Praeceptor, qui incredibilibus laboribus salutem atque publicam utilitatem praeter ceteros omnes non sine magno valetudinis tuae et rerum multarum dispendio cures, cumque utile fore putares si Belgicam saevitiam, quam oculis nostris vidimus, et ipsi non sine praesenti vitae periculo experti sumus, nunc tandem litteris patefacerem, jussisti<sup>7</sup> ut earum rerum historiam, quae nobis evenerunt posteaquam abs te profecti sumus, ordine describerem. Obtemperabo equidem perlibenter et Praeceptoris carissimo et praeclara postulanti, idque eo libentius quod existimem non parum utilitatis hoc scriptum allaturum iis qui fraudes hominum ignorant, eorum potissimum qui, larva quadam religionis obvelati, et in Deum sunt contumeliosi et crudelissimos impietates sua hypocrisi tegunt. Quodsi ego admonitorem aliquem habuissem aut hujusmodi venenata monstra, humana specie ementita, inter moderatos homines occultari putassem, non temere fortassis ab eis ludificari passus fuisset neque duos integros annos in manifesto vitae

1) aus Pindar's erster Nemeischer Ode.

2) possum.

3) nil.

4) quam.

5) n.

6) sapientissimi.

7) injusti. Das j mag man für ein s nehmen können, aber der folgende Buchstabe ist ein u.

discrimine versatus essem neque, quod ego semper feci maximi, aut abs te sejunctus aut pristina studiorum nostrorum consuetudine tanto tempore privatus esse potuissem. Sed inutiles esse querelas judico quae praeteritam calamitatem mutare non possunt et parum ad rem praesentem conducunt. Quamobrem querimonias omittam et rem ipsam, ut potero, comprehendere atque, ut jubes, ordine adumbrare conabor.

Agitur nunc secundus annus aut eo amplius, clarissime Praeceptor, quod abs te profectus sum, quo temporis curriculo incredibile dictu est quam multas incommoditates pertulerim, etiam in ipsa via quae, ut scis, in media hieme suscepta, non poterat non esse molesta. Certe laboriosa fuit donec ventum est in Frisiam Orientalem, quo in loco stationem fecimus, cum ut vires labefactatas aliqua ex parte reficeremus, tum vero ut veteres amicos salutarem, inter quos clarissimum virum d. Johannem a Lasco praecipuum pono, cujus consuetudine mirifice sum oblectatus. Contulimus ibi de multis et variis rebus, quae, quoniam ipsius litteris tibi postea innotuerunt, non multum ego in eis recensendis immorabor. Invisere quoque Albertum nostrum visum est quem paulo ante litteris uterque nostrum sollicitarat ut deserta Babylone sua ad eum se conferret locum ubi pura et libera esset evangelicae doctrinae professio, ne tantam ingenii vim, in vitae genere parum honesto consumptam, et quasi in eo antro sepultam ubi locus verae religionis professioni nullus apparebat, inutiliter consumeret. Principio quanquam dura fuit auribus illius vox, tamen animum ejus ad amplectendam purioris doctrinae sententiam litterae nostrae nonnihil commoverunt. Sic tamen ut, cum ego ad illum venirem, facile animadvertere possem, primum illum calorem atque impetum, quem de mutanda vita lectione nostrarum litterarum conceperat, totum deferbuisse, planeque ad antiquum ingenium securitatis reversum, deliciose ac tranquille inter ejus ordinis sodales pristino suo more versari. Tanta est impietatis vis ut homines alioqui non mali, umbratili quadam voluptatis illecebra inebriati, gaudeant, in rebus maximis sibi ipsis fucum facere. Mirabar equidem antiqui illius generis humani hostis potentiam. Sed tamen de salute Alberti nostri nondum sciebam desperare quin ad meliorem vitam eum reduci posse arbitrarer. Denique, ut rem in pauca conferam, tantum, favente Deo, apud eum efficere potuimus privato nostro colloquio, ut plane in veram sententiam inclinaret neque in eo sodalicio, virtutis ac verae religionis inimico, diutius sibi manendum putaret. Hunc animum illi precatus sum firmum ac perpetuum; et quia infausti alicujus spiritus technas metuebam, ne iterum ad pristinos mores relaberetur obtinui ut scriptis litteris suam tibi astringeret fidem, et quod erat inter nos constitutum nuntiaret,

quibus litteris velut ex syngrapha cum eo agere licuisset, si sententiam mutasset. Sed bene habet quod ille ad tempus praescriptum fidem praestitit et nunc fidelem Christi ecclesiae operam incepit navare.

Inde Lovanium iter institui, qua in urbe, et quoniam de via fessus eram et statum religionis<sup>1</sup> volebam explorare, statueram privata amicorum communicatione paululum recreari priusquam in lucem prodirem. Sed longe aliter evenit. Etenim cum finem jam esse malorum putavi, novus renascitur labor. Amanter quidem exceperunt veteres amici quorum olim et consuetudine suaviter usus eram et fidem putavi fore firmiorem. Sed quia ex Germania me redire sciebant, et sulphureus illis totus videbar et quibus<sup>2</sup> antea fueram gratissimus, de quibus eram optime meritus, tunc vel ad conspectum solum nostrum, nedum ad laudes Germanicae gentis, magno quodam horrore trepidabant. Neque vero sine causa omnes erant in magnam trepidationem conjecti. Siquidem pridie ejus diei quo ego Lovanium perveni, viginti octo cives honestissimi fuerant comprehensi, quorum aedes armata manu de improvviso aggressus est Procurator, ut illi vocant, generalis cum tota cohorte Pharisaeorum, qui omnes conjunctis viribus hora decima noctis in aedes civium irruperunt, singulos aedium angulos perlustrarunt, ut, si libros suspectos invenissent, hoc ipso sine alia causae inquisitione homines alioqui pios jugulassent. Ibi erat videre miserandam rerum faciem. Pulsabant magno impetu satellites ad fores bonorum hominum qui, diurno labore fessi, jam se totos quieti dederant, nihil minus tunc quam de ingruente perturbatione cogitantes. Si quem artius, propter labores quos in die sustinuerat, somnus complexus erat, non illi expectant quoad pater familias, clamoribus et pulsu expergefactus, domum aperiret, sed ipsi effractis foribus violenter usque ad lectum dormientis irruperunt. Inveniunt maritum et uxorem praesentis miseriae ignaros. Ibi tum inaudita quadam immanitate satellites, ut in mandatis habebant, impetum faciunt in viros, saepe maritum et uxorem simul comprehendunt. Jacent ad latus innocentes liberi qui parentum atque ipsorum miseriam lamentabili ejalatu videntur praesentire. Ad hoc spectaculum exanimati cum vident domum inusitato more taedis lucentem, manu armatorum hominum oppletam, terribili armorum splendore qui ex gladiis nudatis atque aliis armis promicabat fulgentem, vident quoque parentes a mutuo illo conjugali complexu dissolvi, alterum huc, alterum illuc ferri, nonnunquam utrumque pariter rapi, colligatis manibus extra aedes violenter abduci, tamen ad conspectum tantae

1) regionis. Das Französische hat religion.

2) q statt qb.

crudelitatis, quam adhuc ignorant innocentes pueri, non iudicio sed naturae ipsius affectu nihil aliud quam tristissimis clamoribus totam domum complent, subinde repetito suavissimo illo parentis nomine: Quo is, mi pater? Quo abduceris, mater? Quis nostri curam habebit? Quis nobis crastino die victum suppedabit? At illi pro pietatis officio proque naturae affectu, quem alia ratione quam lacrimis et clamore exprimere non poterant, verberibus caeduntur, ora illis obturantur ne voces ejulantium ad vicinos possent promanare, quibus admoniti et tristem amicorum casum intelligere et sibi quoque impendentem calamitatem matura deliberatione possent avertere. Quod sane fecerunt nonnulli qui, cum adventantes satellites praesentirent, expavefacti exilierunt de lecto et sola intima tunicula tecti murum domus transilierunt eoque modo liberati sunt. Neque tam manifestis ipsius naturae signis, vindictam tanti sceleris de caelo proclamantis, tyrannorum furores ulla ex parte leniri potuerunt. Quin magis quoque nova saevitia exardere coeperunt, cum intelligerent, per altum noctis silentium, per densam tenebrarum caliginem vel a piis hominibus vel ab ipso aliquo propitio numine quibusdam viris honestissimis, qui Procuratoris crudelitatem experturi erant, ejus adventum paulo ante fuisse denuntiatum, ut, cum ad illorum aedes ventum est, eas sine patrono vacuas reperirent. Grassatur itaque tota nocte Procurator generalis cum suis, incensus furore atque odio veritatis adversus optimos quosque, neque potuit conquiescere donec viginti octo cives Lovanienses, partim viros partim feminas, maritos et uxores, matres et filias, sorores et fratres, captivos abduxit atque in diversis locis sejunctos collocavit, edicens insuper: ne quisquam ad eos, nec pater ad filium nec maritus ad uxorem, uxor ad maritum, admittatur; ad haec ut nihil scribere, nihil legere, apud nullum mortalium colloquium habere custodes patiantur. Hoc modo negotio confecto, quasi re bene gesta domum tandem revertuntur. O inauditam crudelitatem qualis a memoria hominum nulla extat! nec satis scio utrum ante hanc nostram aetatem visa fuerit unquam. Quid agis, Procurator generalis? Agitur de capite honestissimorum civium et matronarum. Tenentur captivi abs te qui multis praeclaras virtutis documentis exemplo fuerant toti civitati. Nihil aliud jam expectatur nisi ut extrema illa sententia igni et flammis adjudicentur qui meliori fortuna digni haberi potuissent. At quam ob rem tandem? Quod flagitium perpetrarunt? Quid contra te? quid contra rempublicam? quid contra ullum privatum civem commiserunt? An te tuis fortunis spoliarunt? tuam dignitatem re aut verbo aut quoquo modo laeserunt? tuum quaestum, tua consilia, tuas expilationes impediverunt? Num auctores seditionis in civitate fuerunt? Num aerarium expilare, sceptrum e manibus

gubernatorum eripere atque eorum in locum se ipsos collocare voluerunt? Utrum cruentato gladio aliquem eorum a caede patrata redenntem invenisti? Nihil tale. Quam ob rem igitur in illos furiose ruis? Quare honestos homines carcere, proscriptione, ferro atque incendio extinguendos judicas? Quin te ipsum intueris? Quin fraudes, praedationes, homicidia, adulteria, furta, rapinas<sup>1</sup>, quibus pollutus et contaminatus es, tacita cogitatione apud te consideras? Qua fronte istis sacrilegis manibus quibus fana et profana saepe diripuisti, multis praeter jus et aequum vim intulisti, miserorum sudores expilasti, audes innoxios homines comprehendere! Non vereris ne terra tibi dehiscat, aut subito fragore corruant aedes, quarum tecta subire non dubitas ut tantum scelus denuo committas? At impietatis rei sunt, inquires. Quo pudore, quaeso, tu aut, qui auctores tibi sunt crudelissimae impietatis, sophistae Lovanienses, eos audetis impietatis arguere qui diligenti sacrarum litterarum institutione totum vitae suae cursum gubernarunt? cum interim vos saepenumero veram aeterni Dei doctrinam, veram religionem ore blasphemo, innumeris paene impietatis atque idolomaniae formis blasphemastis, conspuistis, deformastis! Atque sic se res habet. Haec est, inquis, Imperatoris voluntas, hoc jubent leges, ut Lutherani sine ulla veniae spe ultimo atque atrocissimo supplicio afficiantur. Nec alia hujus facti potest aut debet constare ratio.

Hac inopinata persecutione gravissime consternati sunt Lovanienses, etiam hi qui aliquem evangelicae doctrinae gustum hausisse prae caeteris videri volebant. Possem aliquos minime vulgares homines nominare qui, cum antea veram de religione sententiam tenuissent, nullum eo tempore Christiani pectoris indicium, imo nullam non *ὑποκρίσεως* significationem, non data neque oblata sed quaesita et accersita opportunitate, praebabant. Tanta est humani cordis infirmitas. Horum ego iudicium neque probare poteram, neque rursus illi me, quem ex Germania redire sciebant eoque inquinatum haeresi nescio qua judicabant, aequo animo ferre potuerunt. Quid multis? Pellimur consueto hospitio atque alias nobis sedes quaerere jubemur ne praesentia nostra et nos ipsos et hospitem nostrum in discrimen traheremus. Mirabar hominum levitatem atque inconstantiam, et cum nullum in vita sit ornamentum majus aut praestantius quam magnitudine quadam animi atque invicto robore verae religionis patrocinium suscipere eamque semel susceptam Christianae pietatis formam contra hostes veritatis, contra inimicorum vim atque insultus viriliter usque ad extremum halitum tueri, videre nunc viros alioqui non malos turpiter a pietatis professione defecisse, ad

1) rapinae.

primum reflantis fortunae flatum fractos animis esse, permoleste ferebam. Ceterum ne mea causa amici, quorum saluti consultum esse cupiebam, in suspicionem venirent, nec me ipsum temeritate quadam in discrimen darem, statui furori cedendum esse et prudenti deliberatione consilium capiendum ut, quod magis ex usu foret quodque res et tempus postularent, hoc ea opportunitate facerem. Ad cognatos nostros ire nolebam, quanquam erant multi et primariae auctoritatis in ea urbe, quia de illorum fide atque animo adversum me dubitabam, ut sunt homines vehementes et receptae suae consuetudinis strenui juxta ac inconsulti defensores. Rursus Antuerpienses cognatos invisere non erat animus priusquam ab illis essem vocatus, quibus meum adventum per litteras significaveram. Interea temporis Bruxellam ire visum est ubi non eram perinde notus, atque ibi manere donec aliquid a nostris certi accepissem <sup>1</sup>.

Sed cum eo perveni, non minorem esse ibi status publici perturbationem audiui quam Lovanii reliqueram. Accepi pro re certissima, comprehensos ibi quoque esse viros integritate vitae et puritate doctrinae laudatissimos, multos relicta familia et liberis aufugisse, eorum bona confiscata esse, alios in privatis angulis delitescere, haberi in scriptis supra trecenta nomina eorum qui prae ceteris in suspicionem venerant, quique jamjam capiendi, cum Bruxellae, tum in aliis Brabantiae et Flandriae civitatibus, putabantur. Vides hic, mi Praeceptor, qualecunque vestigium apostolicae vitae. Testatur Praeceptor noster, dominus Jesus, vulpes quidem foveas habere et volucres caeli nidos, filium vero hominis non habere ubi caput suum reclinet. Non igitur mirum nec turpe nobis esse putandum est, servatoris nostri exemplum per omnia sequi, cujus ad imaginem conformes nos esse oportet si veri discipuli sumus. Denique cum viderem nullam ibi esse spem majoris tranquillitatis, privato quodam animi impetu statui Lovanium redire utcunque caderent omnia, atque ibi meum officium facere, paratus interim qualecunque periculum sustinere quod Deus tandem pro suo erga me paterno animo mittere voluisset <sup>2</sup>.

Ea res opinione mea feliciter evenit. Dissuadebant omnes in publicum prodire, ego vero contra omnium sententias recta ad Hispanos nostros contendo. Qui erant in ea urbe cognati atque amici nostri veteres, summa cum humanitate reversum exceperunt. Accedebant quoque non pauci quos antea ego noveram, qui, quoniam nostrorum familiares ac necessarii erant, nobiscum quoque amicitiam inire ambiciose procurabant. Omnes pariter summos honores deferre, officiis humanitatis nobiscum certare praeter

1) Kein Absatz.

2) Kein Absatz.

nostram atque aliorum opinionem nitebantur. Principio sane visa est mihi insidiosa quaedam civilitas quae, repente quasi natura nostrorum hominum mutata, praetextu illo deliciarum velut esca occultiores aliquas machinationes moliretur. Posteaquam vero certis argumentis deprehendi, nihil simulate inter ipsos geri, omnes mihi ex animo favere, et ego coepi tranquillius habere, et humanitate atque officiis eos conabar superare. Dum haec aguntur, misit avunculus meus Antuerpiensis familiarem quendam suum Lovanium, per quem et litteris amicissime scriptis adventum gratulabatur et cum eo ad se venire jubebat. Id eo feci libentius quo periculosius erat eo tempore Lovanii versari. Rursus ibi omnes cognati atque amici peramanter complectuntur. Res omnis erat in vado. Ibi aliquot septimanis cum nostris recreatus, Lovanium redeo quo tempore captivorum causa agitabatur calumniosissime.

Quotidie accedebant doctores theologi, nominatim Latomus et Decanus qui summi inter alios habebantur, ut miseris mulierculas disputationibus suis enecarent. Vide quaeso, mi Praeceptor, quo tandem se demittat majestas theologica, ut tanti viri, qui ecclesiae columina haberi volunt, in controversiam atque disputationem theologicam cum imperitis feminis descendere non erubescant. Neque putes eos venire quasi doctores ad colloquium ut a veritate aberrantes in meliorem religionis viam cum quadam caritate et lenitate deducant, sed cuniculis aggrediuntur rudes pupillos et viros rerum omnium ignaros, quo facilius decipiant ac postea, tanto hoc tamque glorioso triumpho velut ovantes, crudeliter condemnent. O triumphatores quos verius trumphatores (ut ipsi loquuntur) possis appellare. Neque tamen, quanquam fraudibus ac dolis instructi ad feminas accedebant, ulla justa ratione aut argumento eas potuerunt superare. Quin ab illis turpiter saepe derisi et stultitiae pariter ac impietatis notati recedebant. Aliae juniores et minus in litteris sacris aut controversiis ecclesiasticis exercitatae, quoniam illorum fraudibus facile irretiri potuissent, silentio modestiaeque suam causam tuebantur. Aliae callidiores theologorum argumenta per jugulum retorquebant, non sine magno dedecore ordinis theologici quia <sup>1</sup> colloquio feminarum victi aut certe rubore perfusi, nam illi sua impudentia vinci nesciunt, domum redire cogentur. Nam haec statim per totam urbem spargebantur.

Quaedam inter alias pharmacopolae Lovaniensis uxor, interrogata quid de sanctorum invocatione sentiret? utrum sancti, qui ex hac vita commigrarunt, adorandi a nobis atque invocandi essent? respondit: se quidem in disputationibus non admodum

1) q à.



exercitatum esse, eoque universam disputandi rationem theologis, qui vellent, permittere. Ceterum quod ad totam invocandi numinis formam attinet, neque aliud se scire aut velle profiteri quam quod sacrae litterae docerent, hoc est quod Christus ipse testatur Math. c. 4 <sup>1</sup> dominum Deum nostrum adorandum esse illique soli serviendum. Ad haec se apud Paulum legisse, unicum esse mediatorem Dei et hominum, Christum Jesum qui se ipsum tradidit pro peccatis nostris, quique nostros gemitus exaudit nostrasque preces defert ad Patrem <sup>2</sup>. Hunc sibi in animo suo adorandum atque invocandum juxta verbum traditum proposuisse, qui sanctus est omnium sanctorum, neque in re omnium maxima, hoc est in invocatione aeterni numinis, quae summa et caput est totius religionis et quae una veram religionem Christianam a Turcica et idololatrica secernit, novos cultus, alienos a verbo Dei aut repugnantes voluntati divinae, suo sibi cerebro audere confingere. Si quid illi melius scirent, docerent, sane praebituram se et attentam et docilem <sup>3</sup>. Ad hoc feminae responsum obstupefacti theologi, rursus stultitiam suam ac impietatem magis ac magis produnt et feminae negotium facessunt. Verum quidem est, inquit, Deum esse adorandum, quod nos non negamus, sed quae est ista tua audacia seu potius impudentia ut perfricta fronte illotis manibus ac pedibus ausis prodire in conspectum Dei quem tot modis offendisti! quod non auderes facere in conspectu hominis. Sic tecum cogita: si forte Imperator in hanc urbem veniret et tibi ab eo aliquid esset impetrandum, nonne, priusquam ipsum auderes compellare, dominum de Granduella interpellares, aut alios, quos Imperatori esse gratos putares, propitios faceres eosque patronos postulares qui apud Imperatorem commendarent, qui tuas preces illi primum proponerent? Certe sic faceres. Vide, mi Praeceptor, quomodo illi sapientes mundi, sive destinata malitia sive ignoratione turpissima sive alio impietatis morbo fascinati, hoc argumento rationis, quasi invictissimo propugnaculo <sup>4</sup>, muniti adhuc pergunt insanire <sup>5</sup>. At non proinde debilitatus est feminae animus. Quin audacius ac prudentius responsum dedit quam illi unquam expectarant. Vos, inquit, mihi vicissim respondete. Si forte Imperator ipse esset in fenestra qui me suo favore sciret opus habere et transeuntem per plateam propria sua voce edita ad se

1) Nach Mat. steht ein c. das wieder gestrichen ist, keine Zahl.

2) 1 Tim. 2, 5. Gal. 1, 4. Röm. 8, 34. Hebr. 7, 25. Nicht im Manuskript.

3) Absatz.

4) Dies Wort ist über ein ausgestrichenes ariete gesetzt, beides von derselben Hand.

5) Absatz.

vocaret: Heus, inquiens, muliercula, scio te indigere ope mea, ascende huc ad me, volo tibi quae vis libenter praestare! num vobis auctoribus cunctarer donec alios mihi patronos prius conciliassem, an alioqui recta ad ipsum Imperatorem accederem<sup>1</sup> qui solus potest et vult, quod ab ipso postulo, donare. Certe ego relictis membris ad caput recta contenderem, praesertim cum ipse sua voce ad se ut venirem significasset. Quodsi vestrum iudicium secuta illi responderem expectandum esse donec Granduellam patronum parassem, nonne jure digna possem haberi gravi repulsa, cum ad ipsum dominum ventum esset, neque postulatam impetrare, ut quae auctoritatem ministri quam domini majoris fecerim? Deinde quae haec esset impietas, ex corruptis hominum moribus aeternam Dei voluntatem velle aestimare! aut hac humana et vitiosa similitudine legem de cultu Dei et religione statuere! Habeo ego caelestem Imperatorem Christum Jesum, redemptorem ac servatorem totius generis humani. Is disertis verbis ad omnium ordinum homines clamat: Venite, inquiens, ad me, non unus aut alter selectus Magister noster, sed omnes, non vos qui, justitia vestra inflati, justitiam Dei induere non vultis nec ea vos indigere judicatis, sed quicumque laboratis et onerati estis, quicumque, peccatorum pondere gravati, miseriarum levationem ac admissorum condonationem juxta Dei misericordiam ex animo ingemiscitis. Fateor me unam de illis esse quae saepenumero divinam majestatem suis delictis offenderint; fateor me frequenter deliquisse, atque ita deliquisse ut indigna sim quae oculos in caelum attollam. Sed iterum erigitur mihi animus audita Imperatoris mei voce qui novit miseriam meam. . .

Dieselbe Hand führt fort bis f. 112, mit Ausnahme der Blätter 27 und 28, worüber nachher. Mit f. 113, mit den Worten *fiducia mediatoris nostri*, die bei Campan II, 292 stehen, beginnt eine zweite Hand, die bis f. 145 fortfährt, wo das Werk gleichlautend wie bei Campan schließt. Beide Hände und die Marginalien schreibt Merkel der zweiten Hälfte des 16. Jahrhunderts zu; in keiner dieser Hände sei die von Enzinas zu erkennen, nach der von mir geschickten Durchzeichnung der Worte *Tuus ex animo Franciscus Dryander* (mehr war nicht so bald verfügbar) zu urteilen. Dagegen das die erste Hand die seine sei, sprechen auch die Textfehler.

In dem ganz mit Majuskeln geschriebenen Titel steht neben *Enzinatis*, das die Zeile schließt, mit kleinen Schriftzügen: *Alias Quernæi*. Merkel sagt: Questa è la lettura che credo più probabile. Le ultime lettere, schiacciate contro il margine, sono

1) accedere.

confuse. Dopo la i c'è una virgola che non so se si potrebbe anche credere una s. Quernatis non si può leggere affatto. Gemeint sein könnte Quernei, jedenfalls ist es eine Übersetzung des Namens Enzinas, wie Dryander und du Chesne. Die Randbemerkung ist von anderer Hand als der gleich darauf beginnende Text und als alles was auf einem dem Werk Dryanders vorgefügten Bogen steht.

Auf diesem Bogen, der übrigens dasselbe Wasserzeichen hat wie das Papier der Historia, steht folgendes Schreiben:

Clarissimo viro domino Philippo Melanchthoni  
Praeceptorì suo observando  
Arcturus Gallus s. p. d.

Quum nihil certi in hac mortali vita, Praeceptor doctissime, de rebus humanis, assiduis calamitatibus jactatis, malisque tristissimis obnoxiiis, statui possit, praeclare de futuro domicilio inquirendo et vitae immortalitate consequenda a Paulo Apostolo ad Hebraeos admonemur: *οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν.* Nam quam aerummosa piorum esset condicio in hoc saeculo qui in toto vitae curriculo acerbis malis a tyrannis affliguntur, nisi melioris vitae spe alerentur et artissimis promissionibus, chirographo filii Dei confirmatis, divinitus inspirati, fidem haberent; quibus prophetarum divina oracula et Apostolorum sanctissima scripta referta sunt, innumeras consolationes Christum profitentibus suggerentia. Verum in hac parte, ubi singulari Dei clementia ad evangelii cognitionem accitus est Franciscus Enzinas, alio nomine Dryander, olim tibi discipulus, vir pietate, eruditione ac nobilitate insignis, specimen pietatis in reliquo vitae spatio omnibus exhibuit. Hic enim evangelium candido pectore amplectens, patriam, parentes, cognatos, affines, amicos et fortunas pro Christo neglexit, sibi ante oculos praeponens immortalitatis vitae statum qui non potest viribus humanis comparari sed sola Christi sanguinis expiatione. Propterea non dubitavit, quum in Gallia Belgica una cum amicis versaretur, occasione oblata constanter carcerem ingredi et stricta vincula sustinere, expectans miseræ vitae humanae exitum. A quibus Deus sua inexhausta misericordia illum tanquam a faucibus beluarum eripuit, reducens incolumem ad ea loca ubi pure verbum Dei personat. Demum in illis aliquandiu commoratus, uxorem duxit; ut nosti, semper summo studio enitens ut ecclesiae Dei et reipublicae litterariae prodesset. Paulo post Argentinae cum familia degens, epidemico morbo correptus, una cum uxore, nobili matrona, pie vita excessit, duas filias relinquens utroque parente orbatas et mediocrium fortunarum heredes. Quibus in-

clitus senatus Argentinensis, ut honesta et sancta consuetudo civitatis fert, tutores praefecit qui orphanarum et curam haberent et tuerentur. Accidit itaque hoc anno, Praeceptor observande, quum Argentinae degerem propter privatas occupationes, ut a pupillarum affine, viro nobili et de pupillis bene merito, vocarer ad evolvendos libros atque excutiendos Francisci Enzinatis in gratiam orphanarum, quo ex paternis lucubrationibus fructum aliquem a typographis acciperent. Cui operi dum intentus essem, incidi in Historiam de statu Belgico et religione Hispanica, Francisci Enzinatis manu propria scriptam, quam tibi dedicabat. Quod omnibus gratum fuit. In qua suam in te animi gratitudinem et singularem in Praeceptorem caritatem testatur, licet eruditio tua opus cultius exigat; Ciceronem secutus, Philippica tertia dicentem: Cui gratia referri non potest quanta debetur, habenda tamen est quantam maximam animi nostri capere possunt. Placuit igitur heredibus, cognatis, affinibus ac amicis ut tuo auspicio in publicum prodiret, propter duas causas: ne Franciscus honorificae memoriae, vita defunctus, ultima voluntate (ut ajunt doctores juris) frustraretur, deinde quia debuit propter beneficia accepta, praesertim quum non solum de illo sed te tota re litteraria sis bene meritus: idcirco inter litteratos nemini honorificentius dedicare potuisset. Quaeso igitur, doctissime Praeceptor, ut Historiam de statu Belgico et religione Hispanica, quam Franciscus superstes tibi inscribere voluit, illam jam in publicum tuo nomine evulgatam, qua humanitate praeditus es, accipias. Quod a te uno ore omnes vehementer petimus. Bene et feliciter vale. Argentinae.

Die Worte *alio nomine Dryander* sind am Rande hinzugefügt und als hierher gehörige Einschaltung bezeichnet. Ursprünglich stand am Rande *qui vulgo Dryander vocatus fuit*, was aufser dem Namen *Dryander* gestrichen ist. Dieselben Worte *qui vulgo Driander vocatus fuit* standen ursprünglich weiter unten hinter *Enzinatis* vor *manu propria* im Text (nur dafs dort *Driander* geschrieben war), sind aber dort gestrichen worden. Merkel sagt zu dieser Streichung: *La linea di cancellazione non pare d'inchiostro diverso* und bei der ersteren Stelle: *differenze di carattere tra la postilla ed il testo non ci sono*. Ohne Zweifel sind die Worte aus der zweiten Stelle an diese, wo Enzinas zuerst genannt war, versetzt und dann verändert worden, schwerlich von einem anderen als dem Verfasser des Briefes, dessen Autograph also in dem Manuskript, aus dem er hier abgedruckt ist, vorliegen wird. Er war offenbar dazu bestimmt, der beabsichtigten Ausgabe vorgedruckt zu werden.

Die Zeit dieses Schreibens ist zunächst durch die Todesdaten

Dryanders und Melanchthon's, 30. Dezember 1552 und 19. April 1560, zu bestimmen. Da aber im Siebenten Teil von Rabus' *Historien der Martyrer*, der 1557 erschien, mit Vorrede vom 6. August dieses Jahres, vieles aus Dryander's lateinischer Historie übersetzt ist, diese Historia aber erst durch Gallus für weitere Kreise zugänglich geworden zu sein scheint, so dürfte obiges Schreiben wohl spätestens 1556 abgefaßt sein.

Von derselben Hand, die diesen Brief geschrieben hat, der S. 2 beginnt, S. 4 schließt, ist auf S. 1 oben der Titel des Werkes wiederholt: *De statu Belgico deque religione Hispanica, historia Francisci Enzinatis Burgensis.*

Unter diesem Titel steht von anderer Hand:

*Titulus iste nihil quidem falsi habet sed tamen apposite magis praefigeretur alio quodam modo*

*Francisci Enzinatis Burgensis Historia, in qua tum ipsius pro pietate labores, tum etiam pleraque ad causam pietatis pertinentia insignia exempla tum in Belgio tum in Hispania edita commemorantur.*

*Ternio E est imperfectus. Memini autem me legisse hanc ipsam historiam gallice conscriptam et excusam, unde etiam quae hic desunt, si alibi non extant, reponerentur. Uti ego curavi hoc die Martii 23<sup>o</sup> anno MDLXXVII transcursim.*

In *apposite* scheint das *e* aus *i* gemacht. Über *Enzinatis* steht *Dryandri* mit Buchstaben desselben Charakters, aber mit anderer Tinte. Vor *etiam pleraque* ist *aliorum* gestrichen mit derselben Tinte, mit der es geschrieben war. Die Worte *unde* bis *reponerentur* mit blasserer Tinte und kleinerer Schrift, aber von derselben Hand. Und anscheinend von derselben auch die Worte *uti* bis *transcursim*, wengleich Schriftzüge und Tinte wiederum abweichen. Die Jahreszahl ist ganz deutlich *MDLXXVII*.

Das erste Blatt von Ternio *E*, unten mit diesem Buchstaben bezeichnet, hat, da der den Gallusbrief enthaltende Bogen später vorgefügt ist, richtig die Foliozahl 25. Diesem Ternio fehlt der ursprüngliche innerste Bogen, f. 27 und f. 28. Die zum Ersatz eingeschalteten zwei Blätter zeigen, nach Dr. Merkel, *numerose e spiccanti rassomiglianze* mit der zweiten Hand des eben beschriebenen Titelblattes, z. B. das *H* von *Historia* und das *E* von Ternio *E* kehren *precisamente* ebenso auf f. 27 wieder. Entsprechend dem Vermerk auf diesem Titelblatt ist die Textergänzung nicht des Verfassers Original, sondern Übersetzung aus dem Französischen. Man vergleiche mit Campan's Ausgabe I, 148 f. diese Stelle aus f. 27 der Vatikanischen Handschrift (einige Buchstaben sind am Rand mit weggeschnitten): *Proinde meo arbitrio rem omnem relinquere. Accepto ejus responso a theologis quo non minus suam impietatem atque ignorantiam pro-*

*debant, statui semel illis valedicere, simu[l] omni periculi cogitatione posthabita illud unum exequi quo ad Dei gloriam pro mea vocatione promovendam opus esse j[udi]carem. Et tamen ne mihi ipsi nimium confiderem, commisi librum [Hispanis gestrichen] nostralibus aliquot [hominibus eruditis et gestrichen] grav[ibus] et eruditis viris.*

Herr Enrico Stevenson, der die Fortsetzung des Katalogs der vatikanischen Codices Palatini Latini ausarbeitet, schreibt über das Titelblatt (abgesehen vom ursprünglichen Titel): *è scritto da mano che s'incontra assai di sovente nei frontespizi dei codd. pal. e che scrisse i frammenti d'inventario che si serbano in archivio. Fu probabilmente un bibliotecario o addetto alla bibl. palatina nel 1577, ma non l'ho ancora identificato.* Gerade für die Zeit von 1576—1583 ist man wenig unterrichtet über das Personal der Bibliotheca Palatina, wie mir der jetzige Oberbibliothekar schreibt, Herr Hofrat Zangemeister, der weiter sagt: Es scheinen in jener calvinistisch-lutherischen Konfliktzeit die Stellen nur interimistisch oder gar nicht besetzt gewesen zu sein. Vielleicht aber sei der Gesuchte M[agister] Conrad Lautenbach, der nach einem Bericht des pfälzischen Kirchenrates vom 20. September 1583 kurz vorher für die „Inventierung und Ordination“ der Bibliotheca Palatina thätig gewesen war (Cod. Pal. Germ. 834, fol. 235).

Der Einband ist aus der Zeit Urban's VIII., dessen Wappen auf dem Deckel steht, *con ristauri fatti sotto Pio IX.*, wie Stevenson bemerkt. Unter Urban bekanntlich kamen die Heidelberger Schätze nach Rom.

Kapitelzahlen hat die Handschrift ebenso wenig wie die französische Übersetzung.

Gelegentlich hier noch die Mitteilung, dafs eine deutsche Übersetzung des ganzen Werkes so weit fertig ist, dafs sie nächstens in Druck gehen kann.